

Kamil Kantak

"Architektura Kalwarji Zebrzydowskiej (1600-1802)", Jerzy Szablowski, Kraków 1933 : [recenzja]

Collectanea Theologica 15/3, 391-392

1934

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

Szablowski Jerzy, Architektura Kalwarji Zebrzydowskiej (1600—1802). Kraków 1933. Nakładem Towarzystwa Miłośników historii i zabytków Krakowa (Architectura monasterii Kalwarja Zebrzydowska. Cracoviae. Sumptibus Societatis amicorum historiae et monumentorum Cracoviensium).

Circiter triginta kilometra ad meridiem in regione submontana, inter colles et nemores ipse in monte situs, de longinquo visibilis, muros suos exhibet conventus FF. Minorum Observantium, in Polonia Bernardinorum vocatorum. Habet in circuitu plura oratoria, fere capellas etc. 30, quae formant Viam Crucis, locum completam stationibus vitae et dormitionis BVMariae. Erectus est conventus in Monte Żarek, initio s. XVII, qui mons nomen Calvariae adeptus, cum additione Zebrzydowska a nomine fundatoris Nicolai Zebrzydowski. Iam a principio erat meta multarum peregrinationum, inter quos peregrinos non defuerunt principes et episcopi e. g. regius princeps Vladislaus, gratias agens pro victoria apud Chocim de Turcis 1621 repotata. Hodie quoque peregrinationes non desunt et in coronatione miraculosae imaginis BVMariae a. 1887 numerus piorum ad millionem evacuabatur.

Fundator Calvariae Nicolaus Zebrzydowski, palatinus Cracoviensis, unus ex primis magnatibus Poloniae, cum tota sua familia FF. Minoribus addictissimus fuit, tertium Ordinem susceperat, ceterum inter principales auctores restorationis catholicae in Polonia adnumerandus est. Ex familia eius nonnulli I. Ordinem intraverunt, Bernardinus Z. minister Minoris Poloniae 1707—10 evasit († 1713). Kalwarja Zebrzydowska est prima in Polonia. Ad exemplum ejus posterius aliae in diversis locis fundatae sunt, nulla tamen tantam celebritatem adeptae est. Nihilominus monographia ejus adhuc desideratur, quam lacunam plures descriptiones nullomodo supplent. Est quoque opus splendidae architecturae, hanc ad mina, artem ejus in praesenti opere Dr. Szablowski, assistens Universitatis Jagellonicae accurate descripsit et absolvit.

Plus quam saeculum post foundationem tota Kalwarja cum suis capellis aedificabatur. Documentum foundationis habet datum 1 Decembris 1602, 2 Augusti 1603 nuntius Rangoni posuit lapidem angularem. 4 Octobris 1609 episcopus Cracoviensis Tylicki ecclesiam consecravit. Sed usque ad mortem Nicolaus Zebrzydowski 1620 capellas aedificabat. Quae primitiva constructio ecclesiae cum claustro exhibet similitudinem cum arcibus Italicis s. XVI—necesse enim erat conventum incastellare. Praeter Italicos habemus quoque influxus Flandricos. Architectae enim erant J. M. Bernardoni et P. Baudarth. Plus scholae Batavae monstrant capellae et oratoria, a solo Baudarth exstructae, exemplaria Vredeman de Vries sequentis. Tali modo Calvaria dat rarum in Polonia et extra Gedanum et Pomerelliam unicum exemplar magnifici aedificii styli Batavici. Inter has capellas maximi valoris sunt Sepulchrum Christi ad instar Hierosolymitani, Porta Occidentalis ad instar Portae s. Georgii Antverpiae,

Domus Matris Dei in forma rosae. Praetorium Pilati, Hortus Gethsemane. Domus Caifae, Palatium Herodis. Architecturae aedificiorum decoratio, valde laudabilis, cuius „stiucco“ unica in arte Polonica constat.

Opus Nicolai filius eius Joannes (1620—1410) et nepos Michaël (1641—1670) continuaverunt. Primo debetur ecclesia Sepulchri Matris Dei et amplificatio ecclesia Crucifixionis. Nescimus architectam huius nec sequentium periodorum, tamen adest similitudo tum cum ecclesia Camaldulensium in Bielany prope Cracoviam, tum cum ecclesia ss. Petri et Pauli Cracoviae. Huius influxus quoque adest in capella BVM miraculosae, adiecta per Michaëlem Z. ad corpus ecclesiae conventualis, quae propter magnam valorem suae artis inter pretiosa monumenta s. XVII in Polonia est computanda. At Michaël quoque aedificium conventus de altero dimidio ampliavit.

Ultima periodus structurae ducissae Magdalenae Czartoryska, haeredis post extinctionem huius stirpis familiae Z., finivit totum opus et ad formam hodiernam deduxit, adiungendo vastam navim et magnificam faciatam cum duabus turribus. Hic detegitur coniunctio quaedam cum faciata ecclesiae PP. Iesuitarum Jihlavae (Tchecoslovakia), tegumen turrium tamen per galeas diversitatem Polonicam addit.

Data brevissima analysi operis D. Szablowski, non possumus non laudare eius laborem et perspicacitatem. Cum bona methodo usus est fontibus, imprimis chronico conventus, iam a. 1613 a praedatore Ludovico Boguski incepto, ms. in bibliotheca conventus asservato, necnon veteribus descriptionibus impressis, tum etiam chartis et delineationibus. Neque facile erat in hodierna totalitate aedificii primitivam foundationem eiusque ulteriores peripetias discernere. Quae omnia denique in suis quadris historiae artis collocavit secundumque scholas distinxit.

Auctorem sequentes memoramus ipsos hodiernos FF Minores pp. m. Sergium Michna et Sebastianum Pelczar, custodem conventus, fr. Camillum Żarnowski, architectam, qui omnimodum auxilium auctori praestiterunt. Splendida editio operis cum numerosis imaginibus condigna textu aestimationem affert Societati amicorum Cracoviae. Finientes exprimimus spem, historiam quoque Calvariae, tanti momenti pro civilisatione religiosa Poloniae, brevi tempore auctorem et quod melius est, editorem inventuram esse.

Pińsk

K. Kantak.

Fasciculus 4 edetur mense Decembri.

Permissu Curiae Metropolitanae Lat. Leopoliensis.

Foliorum Redactor: ALEXIUS KLAWEK — Lwów, ul. Supińskiego 11 m. 4

ZWIĄZKOWE ZAKŁADY GRAFICZNE LWÓW, UL. KRZYWA 10. — TEL. 90-05.